

SCRIPTA

Numéro Scripta : 945

Auteur(s) : Lucius II [pape]

Bénéficiaire(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1144, 16 mai

Lieu d'émission : Latran

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Lucius II confirme les privilèges et les biens de l'église de Bayeux dans une bulle à l'évêque Philippe de Harcourt, où l'état de fortune de cette église est décrit tout au long.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLIV, t. 1, p. 185-189.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 23, p. 83-86.

Texte établi d'après a

Lucius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Philippo, Baiocensi episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis, in perpetuum. Ex commisso nobis a Deo apostolatus officio, fratribus nostris, tam vicinis quam longe positis, paterna nos convenit provisione consulere, et ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam justiciam conservare, ut quemadmodum, disponente Domino, patres vocamur in nomine, ita nichilominus comprobemur in opere. Hujus rei gratia, venerabilis frater in Christo, Philippe, episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et beatæ Dei genitricis semperque Virginis Mariæ Baiocensem ecclesiam, cui Deo auctore præsides, sub beati Petri et nosra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus ; statuentes ut quascumque possessiones, quæcumque bona, eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonicè possidet, aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma vobis, et fratribus vestris in ea Domino famulantibus, et per vos eidem ecclesiæ in perpetuum et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis : quicquid illustris recordationis Robertus, comes Normanniæ, Guillelmi, regis Angliæ, filius, de jure suo eidem ecclesiæ contulit, videlicet, quicquid prædiorum, vel de feudo, habebat Ebremarius a rege Guillelmo ea die qua monachus factus est, tam Baiocis, et Rothomagi, quam in cæteris partibus Normanniæ, in terris, in domibus, in monetis, et aliis redditibus ; et quicquid Sanson a supradicto Roberto, Normannorum duce, habebat, tam de prædiis, tam de capellaria Sancti Johannis ; et quicquid ab eodem duce habebant fratres Ebremarii, Erengharius, et alii, Hosbertus et Vitalis ; et totam Terram Tort Capel ; et terram Hugonis quæ est Rosel ; et, apud Cadumum, domum Theoderici, presbiteri, et domos Vitalis, Ratteri filii, et omnes consuetudines quas supradictus Robertus dux habebat de habitatoribus ipsarum domorum ; Baiocis autem, domos Rannulfi, Riccardi filii ; et totam terram quam tenuit Tustinus, filius Aufridi, a Guillelmo, rege Anglorum, et eodem duce Normannorum ; et quicquid

terræ continetur inter fluvium Oræ et mare, a Veteri Ponte usque quo idem fluvius pervenit in mare, excepta terra comitis de Moritonio ; et terra Ranulfi, quam ipse principaliter a duce Normannorum tenebat ; et terra Guillelmi, camerarii, et Roberti, Giraldi filii, et Engelranni, filii Ilberti ; et terra Gualteri Gifardi, videlicet Maisei ; terram etiam quæ dicitur Plaisseiz Grimolt, quietam ab omnium exactione consuetudinum, et omnia appendicia ejus, sicut per cartam Guillelmi, regis Anglorum, certis locorum spaciis determinantur ; Aldreium etiam, et dimidium Rinnii ; et terram Guimundi, filii Rannulfi de Noiers ; et terram Hugonis Dorsi Raie ; et omnium qui participant ipsam terram cum eo de progenie sua de Fontanis ; et illam terram de Buissei, quæ fuit Grimoldi ; et terram in qua mansit Grimoldus in civitate Baiocensi, quæ omnia olim tenuit supradictus Grimoldus, et de quibus eidem sanctæ ecclesiæ, quam supradiximus, servivit, quæ etiam, pro culpa infidelitatis et crimine perjurii adversus præfatum regem, sicut ex scripto ipsius intelleximus, eidem Grimoldo, et hæredibus suis, in ejusdem regis curia, abjudicata sunt, et Baiocensi ecclesiæ ab eodem rege concessa in perpetuum possidenda ; terras etiam quas Hugo bonæ memoriæ, Baiocensis episcopus, præsentibus et laudantibus Roberto, tunc Rotomagensi archiepiscopo, et Nigello, vice-comite, cæterisque principibus regni, de jure Baiocensis ecclesiæ esse propria manu sacramento firmavit : terram videlicet de Manerba totam ; et terram Anschitilli Rufi ; et terram Hammeth ; et terram filiorum Esserpenc ; et terram Rodulfi de Musterol ; et terram Ugolini, filii Louveth ; et terram Saverici ; et terram de Mesrainsent ; et ecclesiam de Sancto Germano ; et terram de Ansfredi-villa ; et terram de Sancto Contesto ; et silvam de Voirei, et de Monte Inferno ; et totum boscum de Labisatia, et de Grocei ; et boscum de Loges ; et haia Delparcheth ; et consuetudinem de silva de Lehedun ; et terram Norgoti, et Guillelmi, fratris sui ; et alloders in Duvero ; et fossam Lucon ; et insulas, ut Haia tenet, et concam, et caram, et consuetudinem de bosco de Molbrai ; et terram de Sancto Sulpitio ; et haiam de Savingei ; et molendinum de Portu ; et terram in Magistrei ; et terras Suhardi, exceptis illis quas cum fœmina accepit ; et terram de Labunia, et de Jurches, et de Rotunda Felchera, et de Petitvilla, et de Spania ; et terram Guimundi de Felcheroles, et Anschitilli de Coltun ; et terram ubi parvus episcopi fuit in Baiocis ; et terram Radulfi Banasti, et Rogeri, filii Turstini Sauri ; et terram de Lacei ; et terram Turstini Scorzavetula, et Herberti, filii Bormench, excepto suo allodio ; et totam terram Rodulfi Ficheth, excepto suo allodio ; et terram de Fraisnit ; et terram Tustini Contevassal ; et terram Acerim, et Rannulfi, filii Ilberti ; et terram de Evrecei, cum omnibus suis pertinentiis ; et ecclesiam de Mulgei ; et terram de Sancto Marculfo ; et servicium de tota terra de Lisun ; et terram in Bromoest, quam Latum Dorsum tenebat ; et ecclesias de Cadun ; et leuga de Cambremer ; et terram in Maignei ; et terram de Bruherlad ; et ipsas terras quas præfatus Hugo, episcopus, de Gualtero de Andele, et de suis parentibus emit. Præterea, prædecessoris nostri felicitatis memoriæ Urbani, papæ, vestigiis inhærentes, hoc præsentis capitulo adiciendum duximus, ut Baiocensis ecclesiæ bona ita semper debeant inconcussa stabilitate servari, sicut bonæ memoriæ Odonis, ejusdem ecclesiæ episcopi, tempore fuisse noscuntur, salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur, in futurum, ecclesiastica secularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Laterani, per manum Baronis, capellani et scriptoris, septimo decimo kalendas junii, indictione septima, Incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quadragesimo quarto, pontificatus vero domni Lucii secundi, papæ, anno primo.